



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

IV. De damnatis, & ministrare tentantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

III.

ANNO
CHRISTI
1441.

Si quis presbyter, aut diaconus, & omnino quilibet ex clero, parochiam propriam deserens, ad aliam properauerit, vel omnino demigrans, in alia parochia per multa tempora nititur immorari, vltius ibidem non ministret, maxime si vocanti suo episcopo, & regredi ad propriam parochiam commoventi, obedire contempserit. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, a ministerio modis omnibus remoueat, ita vt nequaquam locum restitutionis inueniat. Si vero pro hac causa damnatum alter episcopus suscipiat, hic etiam a communi coerceatur Synodo, velut qui ecclesiastica constituta dissoluat.

IV.

11. q. 4. Si quis episcopus damnatus.

Si quis episcopus damnatus a Synodo, vel presbyter, aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, siue episcopus iuxta præcedentem consuetudinem, siue presbyter, aut diaconus; nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed communicantes ei omnes abiici de ecclesia, & maxime, si posteaquam didicerint aduersum memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerint.

V.

Si quis presbyter aut diaconus episcopum proprium contemnens, se ab ecclesia sequestrauit, & seorsum colligens altare constituit, & commoventi episcopo non acquieuerit, nec consentire vel obedire voluerit semel & iterum conuocanti, hic damnetur omni modo, nec vltra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem.